Sit omnibus notum. Quod Ego Petrus Maiol alias antiquitus vocatus Corro de parrochia Sancti Stephani de Granullariis et de Valle Dariolf, confiteor et recognosco vobis Jacobo Ferrandelli
sabaterio de villa Granullariorum et Jacobo de Colle de parrochia Sancti Christofori de Lissano Inferiori, manumissoribus et executoribus testamenti seu ultime voluntatis domine Luciane
uxoris Guillelmi Juliani quondam dicte ville, quod solvistis michi bene et plenarie ad meam voluntatem omnes illas tresdecim libras et quindecim solidos monete Barchinone de terno,
quas michi dare et solvere promisistis et debebatis precio cuiusdam venditionis, quam vobis nomine et ad opus illius aniversarii, quod dicta domina Luciana instituit et fieri
mandavit pro anima sua quolibet anno in ecclesia Sancti Stephani de Granullariis per rectore altaris Sancte Marie constructi in dicta ecclesia, et eidem aniversario et
vobis etiam Itberto de Prato rectori dicti altaris ut administratori dicti aniversarii, et successoribus vestris dicti altaris rectoribus ut administratoribus dicti aniversarii, ipso
feci per liberum et franchum alodium, de tota ipsa pecia terre, quam ego per liberum et franchum alodium habebam et possidebam in parrochia Sancte Eulalie de Corrono Inferiori
loco vocato subtus collem Campinyat in cumba de Valle Dariolf. Item et de toto illo censu unius quartere frumenti boni pulcri et recipibilis ad mensuram Granulla-
riorum, cum toto iure dominio firma fatica et quolibet alio iure meo, que ego per liberum et franchum alodium habebam et recipiebam et recipere consueveram super
quadam pecia terre cum introitibus exitibus et omnibus iuribus et pertinentiis suis et arboribus diversorum generum, quam Jacobus Dalmacii de dicta villa habet et possidet in dicta
parrochia et in dicto loco, et tenebat per me sicut nunc pro vobis et dicto aniversario tenet et sub dominio et alodio dicti aniversarii, ad censum unius quartere frumenti annuatim
solvendum in festo Sanctorum Petri et Felicis Augusti, prout melius de dicta venditione constat per instrumentum publicum inde factum auctoritate subscripti notarii, calendario
infrascripto. Unde renunciando exceptioni pecunie non numerate et non recepte et doli, facio vobis et dictis manumissoribus et notario infrascripto tanquam publice persone
a me legitime stipulanti et recipienti nomine illorum quorum interest et intererit, ac iure potest et poterit legitime recipienti de predictis tresdecim libris et quindecim
solidis bonum et perpetuum finem, et pactum de non petendo, sicut melius dici potest et intelligi, ad salvamentum et bonum intellectum dictorum manumissorum et dicti nomine ipsorum. Actum
est hoc septimodecimo kalendas Augusti anno Domini millesimo CCC° quadragesimo septimo. Sig+num Petri Mayol predicti qui hec concedo et firmo.

Testes huius rei sunt Arnaldus Juliani filius et heres dicte domine Luciane, Bartholomeus Mayol, Petrus de Fonoyeda, Guillelmus de Manso Novo et Andreas de Rodes.

Sig+num Berengarii Simonis notarii publici Granullariorum qui hec scribi fecit et clausit die et anno prefixis.

Pere Mallol, de la parròquia de Sant Esteve de Granollers, confessa haver rebut dels [...], 16/7/1347, p. 1
Col·lecció de pergamins / Arxiu Municipal de Granollers